Lachrymae
a Rokosowo
Rydzyńska.
Posnanie Ioan. Wolrab. 1622.

LACHRYMÆ IN OBITVM

GENEROSÆ ET MAGNIFICÆ DOMINÆ

D. ANNÆ A ROKOSOWO RYDZYNSKA

AVSPICE

Illuſtri & Magnifico Domino

D. ABRAHAMO CISWICKI.

CASTELLANO BYDGOSTIENSI.

AVTORE

NICOLAO SVLKOWSKI.

ANNO

A PARTV VIRGINIS

CIↃ DC. XXII.

Poſnaniæ in Officina IOANNIS WOLRABI.

IN STEMMA GENTIS.



QVos video vultus? frenato hinc Bubalus ore,
Inde ferox stricto promicat ense Leo.
Effrenes procul hinc iræ, procul este pauores,
Prudenti Abramus prælia Marte mouet.

IN
LEONEM ENSIFERVM.

Ne steteris contra.

QValis barbaricæ cladis madidus cruore Mauors,
Pangæa sulcat axe sordidato:
Et gladium multis dentatum cædibus Gelonûm,
Appendit arus postibus tremendæ;
Terreat vt populus hostilis concitos furore,
Et peruicaces impetus retundat.
Ferrea Cisuicidûm talis, cum dextra bellicorum
Congessit ingentes virorum aceruos,
Audax ostendat gladium multo ebrium cruore,
Si quis resistat rursum inebriandum.
Heu quàm terribiles nudus iaculatur ensis iras!
Quanto cruore pinguis irrubescit!
Purpureosq; licet toto mucrone fundat imbres,
Flammæ tamen sitim domare nescit.
O vtinam sicci patiatur Tantali furorem,
Dum Bosphorana Lechicam scelesto
Infestat volucrem Phœbe Mauorte, feruidamq;
Non ante flammam sopiat, superbæ
Cornua Dictynnæ dum sanguineo mari obruantur;
Ne destinato compleantur orbe.

ILLVSTRI

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO

D. ABRAHAMO CISWICKI CASTELLANO

BYDGOSTIENSI &c &c. DOMINO PLVRIMVM OBSERVANDO.

NICOLAVS SVLKOWSKI F.

SI quidem est ILLVSTRIS ET MAGNIFICE DOMINE, qui funestum amantissimæ Parentis Tuæ occasum, ingentem animo Tuo doloris aculeum inflixisse perneget: eum ego vel omni omnino humanitatis sensu exutum, vel certè rationis vsu destitutum necesse est existimem. Quis enim vnquam tam belluinæ mentis existat, vt quid sacrosanctum amicitiæ nomen, quid indissolubiles amoris nexus valeant ignoret? Non is equidem fuit Magnus ille Asiæ terror Alexander, qui amicum Ephestionem, tanto superstitem amore complexus est, vt eo mortuo, vrbium propugnacula diripi, equos mulosq. tonderi, ex gregariis plerosq. interfici, ad mœroris argumentum præceperit. Quid verò Tua hæc atra vestis? quid vultus mœstitia obductus? quid oculi perpetuo stupore defixi? quid gemitus alto deducti pectore? quid omnia? quid singula? nisi vitam mœrentis amici effigiem depingunt? Laudent interim hæc alii, mirentur omnes. Lachrymas ego tibi præsenti scenæ consentaneas apporto, quas tametsi minus gratas fore suspicor, quod Lachrymæ sunt: non omnino tamen ingratas fore spero, quod se Tuas Tuorumq. profitentur.

ILLVSTRIS

ILLVSTRIS ET MAGNIFICVS DOMINVS D. ABRAHAMVS CISWICKI SVAM EX VXORE MATREM LVGET DEMORTVAM.

O Pater, o hominum Diuumq; æterna potestas?
Terrarum cœliq; sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes stabilisq; manens das cuncta moueri:
Quem tua Sarmaticis imponet dextera finem
Cladibus? aut quando proscriptæ gaudia pacis
Ad notos iterum facies remeare triones?
Nunquamne extinctis mitescent sæcula bellis?
Ferrens antiquum nunquamne redibit in aurum
Mundus, & optata gentes pietate fruentur?
Vidimus horribiles animis ferroq; cateruas,
Impius innocuæ quas Teutho in uiscera matris
Armârat, duro tandem Mauorte subactas.
Vidimus Arctoo percussos sidere Moschos
Liuonaq; infidum, & belso genus acre sueuos
Insidiis patriam strictoq; inuadere ferro.
Quid memorem immani numerosos milite Thraces,
Vipereisq; Gethas doctos pugnare sagittis,
Sarmaticum coniuratos excindere nomen?
Niliaco quamuis currat torrentior amne
Lingua mihi, nunquam numerando expromere posim,
Quam multis Lechicos funestent cœdibus agros
Bistrindæ duri, durique Gethæ, ensibus arcum
Opponunt quoties, Aquilis aut fortibus atræ
Cornua Dictynnæ; heu quantis vulcanus habenis
Nobiliumque domos, rudium q; mapalia fœdos
Reddigit incineres! Nessæo tincta veneno
Heu quantos iuuenum atq; senum dant spicula letho?
Quem seruare placet, Scythicas captiuus in oras
Ducitur, vt nudo venalis corpore Thracum
Sacrilegas irritet opes, aut compede vinctus
Frangat inassuetis deserta laboribus arua.

Nnnc quoq; si pigro iacuissent marcida luxu
Pectora Lechiadûm, deletos ignibus agros
Vidisses patria infelix, & cœdibus vrbes.
Non illos torquens flauentes Ister arenas,
Non rapido præceps tenuisset vistula fluctu:
Sed neque magnanimi virtus inuicta Leonis,
Non vasto genitor domuisset robore Cracus.
Quin age nî placidus contra pugnasset Olympus,
Libera barbaricis submîsses colla catenis,
Captrico moribunda solum diademate pulsans.
In sua cœlicolæ coeuertite viscera pestem,
Sarmaticamque quibus vultis subuertere gentem,
Crudi Othomanigenæ technis pereatis ab istis.
Annuite ô nostris cœlestia numina votis;
Irrita sors fient, rapidisq; obnoxia ventis,
Sic tutum nihil est, nihil omni parte beatum,
Auricomo quidquid Sol aureus inspicit ore.
Securas trifido quis credat fulmine syluas,
Si validas quercus, veteres prosternit & ornos
Iratum numen? vitam quis speret ademptis
Inmunem curis, quisquis te ô mater acerbis
Sublatam recolit fatis? adamantinus vt sit,
Durior & scopulis, Siculæque incudibus Æthnæ.
Non lachrymas oculis teneat, non pectore questus.
Heu mortem inuisam! post dura negotia belli,
Post actos patriæ pro libertate labores,
O mater, mater Pylia dignissima vita,
Innubes tecum properabam ducere soles,
Cumq; tuo tacitas partiri pectore curas.
Ergone non vltra vultus spectare licebit
Ingenuos, animumq; mala ferrugine purum?
Heu quàm gratus erat? quàm pulcher in illo
Virtutis radiabat honos? Lucretia talem,
Talem Dulichii coniux ductoris habebat.
Hunc ego luminibus gaudebam cernere fixis,
Si mœstas ederet grandis mihi cura medullas.
Parcite iam superi, tumidos ne voluite fluctus;
Aut si commotas placitum finire procellas,
Reddite solicito, sublatum reddite portum.

ODE

ODE

TRICOLOS TETRASTROPHOS

AVriga Ponti prensus in Adriâ
Magnos quietem cœlicolas rogat,
Cum sordidata nube tecti
Tyndaridûm latuêre vultus.
Pubes quietem Martia flagitat,
Cum fulminantem colla per hostica
Obtudit ensem, dispulitq;
Threijcias pharetra sagittas.
Non si rubentis germina Tethyos
Iactes, & algæ pignora diuitis:
Stagnantibus non si procellis
Auriflugi liciteris Hermi.
Prostabit vnquam vendibilis quies.
Nam peruicaces Pigmalionia
Fugare curas arca nescit,
Nec duodena virûm securis
Qui Consulares expediunt vias.
Viuit quietus quem tenuis beat
Mensæ salinum, sordidusq;
Non agitat Timor aut Cupido.
Non hunc cruento Turcus acynace,
Non pestilenti terribilis Scythes,
Terrebit arcu, non tyrannus
Cecopria metuendus arte.
Ruant labantis mœnia patriæ,
Ponet coruscis Iupiter ignibus,
Spectabit enses irretortis
Luminibus, trifidumq; fulmen.
Hac arte, fortes Cisuicii, & domus
Rydzyniorum nobilis, igneas
Æquauit arces, pallidumq;
ANNA parens superauit orcum.
Nil æstuosæ læta Calabriæ

Armenta.

Armenta, gazæ nil Arabum iuuant:
Nil Caspium sulcare marmor,
Aut Tyrium cumulare vellus.
Agente nimbos ocyor Africo,
Penna citati fulminis ocyor,
Pulsat Bithynas cura classes,
Pulsat equûm peditumq; turmas.
Ergo quietos quisquis amat dies,
Paruo beatus, cœlicolas supra
Nihil lacessat, diues aurea
Quod satis est, mediocritate.

GENEROSVS ET MAGNIFICVS DOMINVS

D. LVCAS A WIERZBNO RTDZTNSKI CONIVGEM SVAM FATIS FVNCTAM DEPLORAT.

LEthales taxi, deploratæque Cupressi
Cingite ferali tempora nostra coma.
Funestum quidquid Cyllene, quidquid & Ida
Procreat, in nostrum quis vetat ire caput?
Ah eat, & dulci spoliatum coniuge Lucam,
Testetur viduo nunc recubare thoro.
Testetur miseros nunquam deponere luctus,
Et steriles lachrymis vsq; rigare genas.
Ah coniux, coniux inuito rapta marito!
Dic age, qua raptor te regione tenet?
Ardua Phœbeæ retinent si mœnia Troiæ!
Argiuos cogam rursus in arma viros.
Trux Acherontæo frenat si carcere Pluton,
Inuadam Stygii tertia regna Ducis.
Ibo per obsessum ventosis nubibus Hæmum,
Si piceis clausam nubibus Hæmus habet.
Ibo per astrictum glaciali frigore Pontum,
Si gelido pressam frigore Pontus habet.

Ibo per medios enses, mediosq; per ignes,
Ibo per vasti stagna profunda maris.
Ibo, nec ignotas absistam viscere gentes,
Donec deserto restituâre thoro.
Ah coniux, vetito forsan pugnamus Olympo,
Sorbebitq; iras ventus & aura meas.
Rapta es, sed viduo nunquam redenda marito,
Heu quàm fortis erat, qui mihi te rapuit!
Durus erat certe, vabidisq; ferocior vndis,
Dum tacito iugulum quæreret ense tuum.
Non illum pietas, vultus non flexit honestus,
Sed neque Cygnea candida veste fides:
Non manus innocuo nunquam polluta cruore,
Aut placido semper lumina fixa sinu:
Non inopes ditare potens miseratio turmas,
Atque in propitios prodiga dextra Deos:
Non vultus læta semper grauitate decorus,
Non animus Dio semper amore calens.
Non virtus, non digna suis natalibus ora,
Non mihi Thesea pectora iuncta fide.
Flectere crudeles poterant hæc cuncta procellas,
Cuncta tamen mortem flectere non poterant.
Ah coniux, coniux immenso gratior auro,
Heu toto coniux gratior orbe mihi:
Coniux Euboici transcendere pulueus annos
Digna, quod ergo cito funere rapta mihi es?
Quis iam Nephenus mœrenti suggeret vndas
Rydzynio, vel quis suggeret Hermus aquas?
Quæ tantos poterit demittere Pleias imbres,
Vt semper causa sufficiente cadant?
Nulla interruptis vacua est singultibus hora,
Vitaq; placatum non habet vlla diem.
Neue putes nostrum leniri tempore luctum,
Sæpius hunc præsens mollit imago tua.
Nam quamuis alio viuam sub cardine mundi,
Te tamen O coniux pectore seruo meo.
Pectore te cerno, nam solo pectore possum,
Et tecum solo pectore sæpè loquor.
Redde vicem coniux, quoniam ora beatior illa est,
Istic me memori pectore semper habe.

ODE
DICOLOS DISTROPHOS.

MAxime Rydzyni placidæ quid nubila fronti
Inducis, sordesq; capillis?
Num quod in æternum videas occlusa soporem,
Gemmea fidæ coniugis ora?
Eurydice quamuis vati sit grata Riphæo,
Cautoq; Icariotis Vlyssi:
Dum Libytina volet textus adamante catenas
Inuicti perrumpet amoris.
Fœdera quis tandem iungat, quæ prodiga lethi
Cras violare potest falx?
Non Solis Lunæque vias, non seruat Olympi
Motus, non discrimina sexus:
Cerbereo potius liuori seruit, & iræ,
Heu quoties consurgit in arma!
Æquo regales ictu tum proterit aulas
Stramineas inopumque tabernas.
Demetit & Pylii canos, fuluamque Diones
Cæsariem, pulchræq; Calypsus.
Nil miserata patrem natis, natosque parenti
Enecat, vxoresque maritis.
Et licet hesterna rubeat falx ebria cæde,
Tantaleæ tamen æmula fauci
Infandos hodie diffundet sanguinis imbres.
Prolongat si funera, tardat
Incautum vt feriat, nam æternum viuere, nulli
Fata dederunt omnibus æqua.

ILLVSTRIS ET MAGNIFICA DOMINA D. ANNA A WIERZBNO CISWICKA MATREM VNICE DILECTAM MORTE SVBLATAM DEFIET.

MAter (sed quidnam hoc? & languida lingua palato,
Et calidus tristi pectore sanguis habet)

Mater

Mater (prô superi! gelidus per membra vagatur
Torpor, & a Matris nomine Nata perit)
Mater (quid cessas pietas, supraque dolores
Facta tuos pergis dicere) Mater vbi es?
Mater delicium notæ, patrisque voluptas,
Et patris & natæ gloria Mater vbi es?
Quanquam nec natæ, neq; iam patris vlla voluptas,
Nunc vtriusque tamen gloria Mater vbi es?
Heu modò talis vbi es? mœsto deuota sepulchro
Cogeris ad patres cogeris ire tuos.
Ergone abis mea lux? nec te pia vota tenere
Nec sanctis possunt addita thura focis?
Ergone nil lachrymis complêsse fluentibus ora,
Nil gemitus alto corde dedisse iuuat?
Ergone puras tendisse ad sidera palmas,
Infestaque comam dilaniâsse manu?
Cuncta in præcipites abierunt irrita ventos,
Aduersos eheu cuncta habuêre Deos!
Infelix pietas, meritos sic tollis honores!
Hæccine virtuti debita palma tuæ!
Nam mea quæ superos iniuria fecit iniquos?
Aut quem non poterant ora mouere Nabin?
Ferrea Cassandri si mens flectenda fuisset,
Cessisset precibus ferrens ille meis.
Cessisset vasto frenelens Polyphemus in antro,
Quiq; suos Graio viscere pauit equos.
Si durus lachrymis manduisset Caucasus illis,
Cessisset lachrymis Caucasus ipse meis.
Dura mihi patrios obseruant saxa penates,
Dura minus lachrymis hæc quoq; facta meis.
Nam dum perpetuo clausisses lumina somno,
Heu quanti domus hæc plena doloris erat!
Grandæuus flebat genitor, tenerique nepotes,
Flebat heram flebat turba ministra suam.
Ipsa ego inornatos manibus disiecta capillos
Clamabam sine me, me sine mater abis?
Tunc quoque luctu amens, tenebris reminiscor obortis
Semianimis media procubuisse domo.
Vtque ægrum terra corpusque animumque leuaui,
Visa fui in molli decubuisse thoro.

Tam mihi mollis erat tellus, quàm pluma Caystri,
Tam Tua post mortem molliter ossa cubent
Quid tunc non poteram, poteram si vincere saxa?
Vnum heu non poteram vincere mœsta Deum!
Hei mihi quid faciam? sine te dulcissima mater
Arridet menti nil nisi triste meæ.
Ecce iacent collo positi sine lege capilli,
Nec radiat digitis lucida gemma meis.
Sordida lena placent: non iam nodatur in aurum,
Non Arabo noster rore capillus olet.
Exulat ore color, macies depascitur artus,
Admittunt minimos ora coacta cibos.
Ipsa quies fugit afflictam, nox annua, somni
Difficiles, facilis semper imago Tua.
Cœlicolæ facerent vt me mea Vita videres,
Flecteret obtutus nostra figura tuos.
Siue polos igitur nigro nox relat amictu,
Seu clarum rupido Sol vehit axe diem,
Sic mea perpetuis liquescunt lumina guttis,
Liquitur vt tepido nix resoluta Notho.
Vtque citis Zephyri pennis vibrantur aristæ,
Stridula syluestres vibrat vt aura comas:
Sic mea constanti quatiuntur membra tremore,
Sic tutum sine te, te sine dulce nihil.
Flere libet semper, fletu lenimur oborto,
Fletu lugubres vsq; rigante genas.
Infelix Niobæ, natos dum flere scelesta
Abnuit exanimes, maluit esse lapis.
Infelix proles Clymene tua cortice vultus
Obduxit, feret ne Phaëthonta suum.
En ego sum, duras chipyli quæ rideo cauteo;
En ego, quæ nunquam populus esse volo.
Viuam, ne quando sensu sim libera acerbo
Durior & longâ sit mihi vita morâ.
Addite Nestoreos superi mihi deprecor annos,
Ne peream, vt possim sæpe perire, date.
Spiritus hic certè vacuas prius ibit in auras,
Ibunt in cineres corpus & ossa prius.
Quam tuus e nostro labatur pectore vultus,
Molliat & luctum labilis hora meum.

Heu

Heu Mater, quisquamne fuit tam sæuus & audax,
Vt mihi te raperet, te raperetque patri!
Care Pater Pylios vtinam sis sospes in annos,
Quodque tulit Matri det tibi Parca ferox!
Heu quantum nostro posses auferre dolori,
Auferres capiti quàm mala multa meo!
Occidit heu mater, quid iam mihi proderit illa?
Si quid adhuc ego sum muneris omne tui est.
Occidimus pater occidimus, fulcire ruentem
Si renuis natam, heu heu pater occidimus.
Lingua tace, lachrymis oculi rorantur obortis;
Ius peragunt Matri lumina, lingua tace.
Gratior est animo Zephyrus, qui lene susurrat;
Dulce fluit torrens, qui tacito amne fluit.

ODE
TRICOLOS TETRASTROPHOS.

O Matre magna filia non minor,
Heroë dignum Cisuiciô decus:
Quid immerentem pertinaci
Teq; necas, animumque luctu!
Non semper alta stat niue candidum
Hæmi cacumen, nec Mœcoticas
Infestat vuas, pampinosue
Grandineis Aquillo procellis.
Non semper imbres, Pleiadûm choro
Succinctus Auster, nubibus excutit:
Aut sæua Tethys nauiganti
Cæruleas inimicat vndas.
Nunquid iugales Æmathii ducis
Experta tædas Roxane, statiram
Omnes ademptam fleuit annos?
Bella per & Rutulum petita
Coniux cruorem Dardanio exuli,
Vultus Amatæ nunquid amabile;
Indesinenti prosecuta est
Scissa comas faciemq; planctu?

Exempla si quid te parium mouent,
Tandem dolori pone modum Tuo:
Duramque præteruecta sortem,
Lætitiam meditêre pulsam.
Quid atra vestis, quid quærimoniæ
Prosunt inertes? si superûm minæ
Imoque supremoque clauos
Transadigunt capiti trabales!
Quo Mater iuit, seuius ocyus
Ibit parentis spiritus inclyti,
Ibunt Nepotes, ibis altos
Cisuicii comitata Manes.

EPITAPHIVM.

ANNA, Rokossouium fatis sortita parentem,
Hic cubo, Rydzynio tradita nupta viro.
Tres ad lustra decem properabam iungere brumus,
Cum cecidêre pigro membra soluta gelu.
Coniuge magna meo vixi, Cisuicius vmbram
Me facit Elysiis matribus ire parem.
Filia quid ploras? si durum est matre carere:
Sis patre, sis viuo filia læta viro.

A. M. D. G.